quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: malos male perdet. et
uineam locabit aliis agricolis. qui reddant ei fructum tempori
bus suis. Dicit illis ihesus: Numquam legistis in scripturis. lapidem
quem reprobauerunt aedificantes. hic factus est in caput anguli.
A domino factum est istud. et est mirabile in oculis nostris; Ideo
dico uobis. quia auferetur a uobis regnum dei. et dabitur
genti facienti fructus eius. Et qui ceciderit super lapidem istum
confringetur; super quem uero ceciderit. conteret eum;

m ccxx / A cxxviii / L ccxlii / I lxxxviii

Et cum audissent principes sacerdotum et pharisei parabolas eius
cognouerunt quod de ipsis diceret. et quaerentes eum tenere
timuerunt turbas. quoniam sicut prophetam eum habebant

m ccxxi / L clxxxi

Et respondens ihesus. dixit iterum in parabolis eis dicens. Simile factum
est regnum caelorum homini regi. qui fecit nuptias filio suo.
Et misit seruos suos uocare inuitatos ad nuptias. et nolebant
uenire; Iterum misit alios seruos dicens. Dicite inuitatis. ecce
prandium meum paraui. tauri mei et altilia occisa. et omnia
parata. uenite ad nuptias; Illi autem neglexerunt. et abie
runt alius in uillam suam. alius uero ad negotiationem suam.
Reliqui uero tenuerunt seruos eius. et contumelia affectos
occiderunt; Rex autem cum audisset iratus est. et missis
exercitibus suis perdidit homicidas illos. et ciuitatem illorum
succendit; Tunc ait seruis suis; Nuptiae quidem paratae
sunt. sed qui inuitati erant non fuerunt digni; Ite ergo ad
exitus uiarum. et quoscumque inueneritis uocate ad nup
tias; Et egressi serui eius in uias. congregauerunt omnes
quos inuenerunt. bonos et malos; et impletae sunt nuptiae
discumbentium.

m ccxxii / S

Intrauit autem rex ut uideret discumben
tes. et uidit ibi hominem non uestitum ueste nuptiali. et
ait illi; Amice. quomodo huc intrasti non habens uestem
nuptialem? At ille obmutuit; Tunc dixit rex ministris;